MALACIA MENTIS INTER ODIA SVI IPSIVS,

Plùs quàm Vatiniana
pacatiſsima.

SEV

INTEGERRIMI PATRIS

V. P. GASPARIS DRUZBICKI,

SOCIETATIS IESV,

POLONI

Inter acutiſsimòs ultro provocatos dolores,
Poſt invicti animi dulciſsimos ſales,
Poſt frōtis ad amænitatē exporrectæ ſerenū.
Poſt ludētis, ſeu veriùs, hoſti illudētis, oris le-
penè nullus ſenſus. (pores,

Cantabat Vates

ANNO

qVo prInCeps paCIs DeVs Inſans IMperat orbe.

CRACOVIÆ,

Typis IOANNIS Domanſki S. R. M. Typographi.

Pax in virtute tua.

Psal: 121.

pax una triumphis
Innumeris potior

Silius Italicus.

ILLVSTRISSIMO
ac
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
D. JOANNI
de MAŁACHOWICE
MAŁACHOWSKI
PALATINIDÆ POSNANIENSI
Polonæ Iuventutis
PRINCIPI.

D*Ivinæ illius* DRUŻBICCIANÆ *mentis malaciam dudum complexæ Musæ, quas* Tu Illustrissime Iuvenis *licèt manu nuper miseris, non tamen animo, lenociniis Vatum innutritam indolem Tuam, audax, & favore Tuo, & usurpatæ Divinitatis specie, turba circumstrepit, ut quas pridem in animum mentisq; Regiam admisisti,*

tuum etiamnum sinum, vetustissimæq; Domûs Tuæ vestibulum, quo multam Europæ partem recepisti, subire patiaris. Sacer ille, Heliconis Numinum ambitus est, magnarum mentium familiaritatem prensarê, ac ibi sedem figere, ubi domesticus honor est, meritisq; suppar gloria, perennitati famæ sacrarium posuit immortale. Angustus, augustus licét, perpetuo scissus divortio Parnassi vertex, Divinioribus illius incolis visus est, orbem illæ animo conceperunt, in quo amænioris literaturæ pompam, jactent magnificentius, explicent gloriosius. In eos conatus incumbentibus, Domus Tua Illustrissime DOMINE, *grande virtutū, meritorū, decorū, theatrum, occurrit, quin Orbis integer, in Avita, Paternaq; FASCIA, in Materno CELSISSIMO SRZENIAWA Archipelagus, & quidquid ambitioso vocabulo vastius censetur, unde totum profluxit, quidquid in gloriam Tuam redundavit. Non ultra ævū (quo se MAŁACHOWSCIANÆ stirpis porrexit vetustas) excurret dictio, pauca libabo, quæ nostris seculis propiùs accessêre, sed sūma, sed celsissima, quæq; non Poloniam modo, sed Europā nobilitare possent universam. AVVM nactus es Excellentissime Iuvenis, non fato, sed eminendi necessitate, grandem illum Patrem Patriæ IO-*

ANNEM

ANNEM MAŁACHOWSKI Principem, etiam citra fortunæ munus, Cracoviensem Antistitem, Severiæq; DVCEM Celsissimū. magnum non nostrà solū ætate nomē, sed omni, quæ virtutū expendit pretia, & prope Numina, colit probitatē. Europam ille famà, ætatem meritis, Poloniam honoribus peragravit, ut tandem Severiæ DVCEM præducem ad immortalia, Divinæ indolis, Iuvenis non inferiora secutus, aßequereris. Vicinā solio Regū Cracoviensē implevit sedē, hic magnæ menti debebatur locus; Caput ad Tyarā & nobiles porrexit curas, ut vastum Reipublicæ corpus integraret; humeris sederunt Regni commoda & pectore; è collo deniq; non tam Crux honoraria, quam salus pependit populorum. O! quoties ille, Regni curis, subductam mētem, ad Te referebat, indolem Tuam, quin suam in Nepote animo præcipiebat, ac per oscula grandes spiritus capacissimæ ætati infundens.

Sustulit arridens, & pectore pressit anhelo. Claudia:

Hæcq; non rarò blādimētis monita permiscebat: in ætatē Avorū, gloriamq;, succede innocēs anime, Tibi nos, Tu famæ æternitati labora; annos probitate, canos maturitate, rectefactis imperià, Curules meritis præverte: teneram ætatem facilis ad optima excipiat adolescentia, adolescenti-

am egre-

am egregijs conatibus insudantem deprehendat juventus, juventuti ultra ætatem progreßæ virilis occurrat animus, huic ad invidiam seculorum ad posterorum ideam exacto, meritis grave senium incumbat, vitamq; terminet, non gloriam. Ita se Monitor ille Magnificus, ex se Tuos formans mores, Princeps Avus, à vultu tuo, non vanâ spe de Te cōceptâ colligebat. Iuvat quoq; memoriæ reddere, ter fortunatum, suâ non minùs gloriâ, quàm prole Parentem Tuum, Excellentissime Iuvenis, STANISLAVM MAŁACHOWSKI Posnaniensem Palatinum, supremis Fascibus sublimiorem, & qui ipsis etiam Curulibus ornamentum conciliabat. Non Poloniæ modò, aut Europæ, verū Oriētis quoq; ipsius cōfessione, saluti populorū, Ci viū integritati, ipsiq; demum.

utile mundo

Editus exemplum.

Lucanus. *Illum, oris Majestas augusta, Numinibus admovebat, vernantis floridæq; facundiæ svada, Oratorum populo eximebat, recte facta, ultra humana, Divina merentem, vehebant, virtus demum ea, cui necdum seculorum industria nomen invenit, consecrabat. Totam fermè nuper, ab excesu IOANNIS III. Gloriosissimi Poloniæ Regis Europam, communis firmandæ pacis studium*

invase-

invaserat cum Oriente. In id populorum vota incubuére, nobiles bellatorum iræ, quasi justissimorum etiam odiorum pertæsæ conspiravêre, Regum deniq; Regnorumq; dissidia consensére. Dimittuntur mentis Principum interpretes Legati Carlovicium, dedit Polonia STANISLAVM MAŁACHOWSKI Posnaniensem Palatinũ, Progenitorem Tuum, Magne Iuvenis, virum ævi nostri summum, & pacis pariter belliq; artibus instructissimum. Ejus humeris nutantia rei Polonæ fata, Majestas vultui, animo publicæ curæ se infuderunt. Nemo illo meliùs Reipublicæ Polonæ commoda tractare, impendentia damna amoliri, deq; nostra felicitate decernere poterat, postquam AVGVSTVS REX in arbitrum curarum receptum, magno illi Europæ, Asiæq; Concilio commisit. Iam ille perrexit antiquos Poloniæ fines restituere, assignare novos, quæcunq; licentia bellorum dilapsa fluxêre, asseruit Patriæ. Totus erat Magni Legati ad maxima quæq; intentus animus. Remisit de fastu suàne felicitate, an nostro infortunio ferocior Orientis Tyrannus, arbitro pacis MAŁACHOWSKI, postquàm eas accepit leges, quas dare certus erat. Rupem, rupiq; impositam urbem Camenecum, jurenè an injuria belli infessam Polonæ rursus ditioni ac-

cedere permisit. Chotimensi æmulà arce suis in ruderibus squallere jussa. Hæc ille Polonæ Majestatis Cyneas, vel Regibus ad immortalitatẽ suffectura peregit. Paterẽtur vero superi, lõgissimũ id esse, quod optimũ terris dederant. Satis ille quidem vixit, si non ex annorum numero vita, sed ex rerum præclaré gestarum multitudine censeatur, satis quoq; gloriæ, cui animi æquitate modũ definivit, at quod nostri maxime interest, parum certè Patriæ vixit, cui nunquam satis est, quod privatis nimium est. At post mortalitatem quoq; in ore animisq; Poloniæ, vivit immortalis, quin in Te spirat Illustrissime DOMINE, *etiam postquam agere desiit in humanis. Fecisti de Parente Tuo Divinisq; ejus virtutibus fidem, ita, ut Te Patriæ relicto, lugeri quidem possit, desiderari jam non possit. Quà vero arte? quo cultu? LVBOMIRSCIORVM SAPIEHARVMq; Prosapiam (quod Maternum Genus est, & Tuum, Polonæ Iuventutis Princeps) ipsi propè coævam Poloniæ, felix Eloquentia evolvat? Omnium mihi Regum. Imperatorum, Ducum, & universam juris humani Majestatem intueri videor intra eas Domos, quas felici permixtione nobilitat, quidquid orbis adorat nobilissimum. Non plures gemmas Hydaspes desspumat, non tot aureas con-*

cipit

cipit arenas Ganges, aut in orbis decora volvit.

Tempestas pretiosa Tagi — Claudian

Quot Maternus SRZENIAWA Illustres Heròum animas effudit, summos deduxit Proceres, adeo, ut altum in hoc flumine inveniant Oratores. Eo se porrexit, ut riparum angustias nesciat, sed æstuantis Oceani vel diluvij more, orbis decora in suam trahat gloriam.

virosq;

Tectaq; cumq; suis rapiunt penetralia sacris — Ovidius.

Siqua Domus mansit

quæ non ex hoc Magnæ stirpis fōte hauserit nomē, vel dederit, fortunatâ accessione, cui acclametur:

totumq; per orbem

Collectæ partes, unum revocantur in Amnem — Claudian

facileque sic dicere: contractum esse in unam Domum, quendam, Honorum, Principum, Regum, Imperatorum Senatum. Potissima verò pars stirpis Amplissimæ Celsissima ANNA de LUBOMIRSCIIS MAŁACHOWSKA Parens Tua Excellentissime Domine, Palatina, S. R-I. Princeps, in Wisnicz & Iarosław Comitissa, mulier deniq; ultra fæminam. In illa ornanda tota est fortuna, in formanda, omnes gratiæ laboravêre. Hæc, & natalibus, & oris, Divinum quidpiam spirantis, — Pacatus. — Barcla:

)(— dignitate

dignitate, Regnum merita, facinorum gloriâ Principum populo exempta, Clementiæ gradibus & moderationis laude, supra humanam sortem eluctatur. Sanctitatem famæ, profusam in egentium commoda liberalitatem, gloriosas cælestesq; dotes, velut suas, amaret in illa, delicium Orientis, Pulcheria, miraretur, in Occidentis solio sacerrimum Nomen Kunegundis, adorant, ac imitatione traducunt in animum reliquæ, quas natalium splendor, ad eminentiorem initiavit probitatem.

Claudian. Miscetur decori virtus.

Mores ex probitatis præscripto emendati, aula deniq; ex Dominæ Genio composita, non ad luxũ jactantiamvè, sed ad eminentissimæ in tanta fortuna dignitatis consvetudinem, ut felicem eorum ætatem censeamus, quibus contigit ea in Aula morùm tyrocinia posuiße, quam non improbitas, aßentatio, fastus sed pietas, clementia, prudentia, sacro amicitiæ genio suffultæ, moderantur. Dicenti hæc, dicturoq; plura, ad laudum incremẽta emergunt, ac tanta

ut omnem
Ovid. Exsuperent, quamvis omnia vera, fidem.

In aliorum commendatione laborat Eloquentia egestate argumenti, in Tuis Princeps Palatina

recensen

dis laudibus, obruta verissimæ laudis ubertate, succumbit. Et nisi sanior vetaret Religio, jam aras nostras augeres & Numina. In tante Matris sinu Illustrissime Iuvenis erudiris ad optima, ætas Tua cultu Numinum, iisq́ʒ virtutibus enutritur, quibus crescentem Gracchorum indolem Cornelia Mater excoluit. Nec aliâ certè Parente ingenerari debuit tibi virtus; ANNA Gratiosa, IoANNEM *Gratiam, luci dedit.*

& parili generatur sidere sidus,

quodq́ʒ in Tuis laudibus potissimum eminet,

Es similis Matri, de Te mihi dicere plura Ovid.
Nil opus est, Matri Te similem esse, sat est.

Adhuc se stylus erigit, ut in pronam Celsissimi PRINCIPIS, Castrorum Regni Metatoris, Avunculi Tui, Excellentissime DOMINE, *cadat venerationem. Princeps est, non de Polonia tantùm, verùm de Imperio quoq́ʒ abundè meritus. Fastos condere necesse est, ejus gloriosa facinora enarranti, in quo Divorum Majorum acta, ita coaluére, ut epitomen è vultu Magni Principis legas universorum, totumq́ʒ illud encomium Gratiani complectatur: Martius campus, equestris ordo, Senatus, Curia, Rostra, unus mihi omnia Gratianus, ac sine fuco, Princeps Regni Metator gloriosus. Quæ vero par erit facũdia? celebrandis,* Ausonius

ſupra ætatem, tantùmq́; non ſupra fidem, actis, conſecrandis virtutibus Excellentiſſimi in Pieſkowa Skała Comitis ALEXANDRI WIELOPOLSKI Fratris Tui Illuſtriſſime? Ea vobis eſt concordia animorum, conſenſio probitatis, & in diverſis vultibus una Majeſtas, qualem geminis Delos reptata Numinibus, aſpexit aliquando.

Barcla: Sic roſeis ſtat forma genis, ſic frontis honoræ
Fulget apex, tales accendunt lumina flammæ,
Humanum ne crede decus.

Iam in illo omnia ad æternitatem famæ conſpirãt. Vidit probavitq́; Polonia abſolutæ virtutis Ideã in magnanimo, nihilq́; humile meditante pectore, plauſibus excepit Regia nuper, adventantem in Saxoniam Legatum, quaſi obvium de Cælo Mercurium ſalutaret. Egit illic Palatinatûs negotia, eo ſtudio, ijsq́; conatibus, quaſi Europæ totius integritas verteretur. Si noſtra ætate vixiſſent Plinij, Pacati, Auſonij, quæ ex neceſſitate aſſentandi in alios congeſſere elogia, in eum conferrent, ac animis univerſorum illud ingererent:

Auſoni. *ſpem ſuperat, cupienda prævenit, vota præcurrit & facilius eſt illi maxima agere, quàm nobis vel optare.* *Superat ille quidem Te Excellentiſſime Iuvenis rerùm glorioſe geſtarum magni-*

tudine

tudine, ſed habiturus Te brevi parem, qui ab illo vinci gaudes, præter quem, Te vincere nemo poſſit Paribus ſtudijs, licet in diſpari ſexu, Illuſtriſſima CATHARINA CAROLA Soror Tua.

plus quam fæmina Virgo Ovidius.

ad Avitæ gloriæ faſtigium aſſurgit. Trajicient ad poſteros, nobiles eruditorum curæ, integritatẽ morum; quàm illa à Celſiſſima Parente, ſexûs ſui prodigio, derivavit. Huc illa omnes vocat conatus, ut Matris ſapiat ex ingẽio, ideoq; crebriùs

Divinæ fruitur ſermone parentis
Maternoſq; bibit mores, exemplaq; diſcit Priſca Claudian.
pudicitiæ.

Et ſatis eſt capaciſſimæ indoli exempla monſtrare, ad quæ protinus componitur mens integerrima. Fidem hominum! quàm ſubitò incaleſcit præcox ad honeſtum indoles, ut prius fere exerceat virtutes, quàm nôrit. Non plus in arcanis Veſtalium ædibus didicêre reliquæ, quàm hæc in fortunatiſſimo Celſiſſimæ Parentis ſinu, & quæ olim Demetriadi Proba, Euſtochio Paulina, præſcripſerant, illa è vultu ſummæ Parẽtis legens, conſuetudine, ſua facit. Hæc ego dum perſequor, Tu interim Illuſtriſſime Iuvenis, ita enatas ex pueritia, ut nihil in Te exhibeas juvenile, præter ætatem. Ea colis ſtudia, huc

mentem advertis, eo confers egregios conatus, ut in hilari ac juvenili animo, vis tā matura ingēij, cæteraq; bona eluceant, propter quæ laudamus senectutem; propter quæ libet ingeminare:

Non spes, ingenium, res probat ipsa, Tuum.

Ignotam plerisq; Iuvenū modestiam, toto animo complexus es, quam Divinis moribus exæquâsti. Instruitur etiamnum Lyceum nostrum Gedanense, quod magnus Tyro implevisti aliquando. Academia quoq; Cracoviensis instruitur tuorum recordatione exēplorum; ubi enim percurrendæ disciplinarum encyclopædiæ vix ætates alijs integræ sufficerēt. Tua tibi satis fuit prope pueritia: cumq; singuli in parte disciplinarum laborent, Tu lusisse credebaris in omnibus, ut non tam didicisse, quàm meminisse viderêre. Sed quorsum hæc? Maturarûnt in Te suas dotes natura & gratia, ut Patriam, & citiùs juves & diutiùs. Velint ea superi, volētq; Tu modò Excellētissime Domine, ut rudi huic ingenij nostri fætui, in lucem prodituro, faveas ipse, & favoris publici viā, humanitate Tuâ aperias, supplex axambit Musa, quæ Magni illius, privata licèt in arena, Herois, V. P. GASPARIS DRUZBICKI S. J. virtutes persecuta est Heroïcometro, cui Tu quoq; jam suppeditas argumētū.

Pateris

Patieris itaq; Illustrissime Iuvenis Musas Te convenire, ita enim fit:

Carmen amat, quisquis carmine digna gerit. Claudian.

Tuis auspiciis innixæ, tuo præsidio suffultæ, eam tibi facient famam, quam habent. Hoc votis omnibus pollicetur.

ILLVSTRISSIMÆ
ac
EXCELLENTISSIMÆ
DOMINATIONIS TVÆ
NOMINI & HONORI
devotissimus.

FRANCISCVS MANIECKI
Societatis JESV

pacemne huc fertis an arma?

Ire placet, pacisq; manu prætẽdere ramos.

Virgil:

Idem.

pax optima, rerum,

Quas homini novisse datum.

Sili: Ital:

CARMEN

PAndite ſacratas ſquallentia buſta favillas,
Eſt calor, & gelidos cineres animare; ſepulchro
Infuſi, querimur, DRUŻBICKI fatá dolentes;
Ipſum quin etiam ſupremum frigus amamus,
Et ſervatori, grati, damus oſcula ſaxo.
Evenêre! Caput DRUŻBICKI protulit urnâ,
Noſco pios vultus, multum quoq; vultibus iſtis
Cerno Deum; nihil ecce ſacræ deceſſit honoris
Fronti, & in extincto ſtat corpore vivida virtus. *A morte incorruptus.*
Vt, neq; diſſentis animo cinis ipſe ſepulti?

Integritas quæ mentis erat, Cineresqué beatos
Incolit, ipsa etiam Genij penetralia casti,
Mors violare timet. Stat magni Nominis horror.
At Tu, quem audacis tremuerunt atria leti,
Magne triumphator fatorum, in carmina vires,
Et servituras Vati, precor, injice venas.
Non ego privato sudatos Marte triumphos,
Non inflicta canam civili vulnera dextrâ,
Nec conjuratas in propria fata catastas.
Bella strepant alii. Mens inconcussa duellis
Ac odiis nutrita piis pax alta, canenti
Materies versûs fiet, laudumq; tuarum.
Vix Lojolanis inscripsit nomina fastis
DRUŻBICKI, vix prima sacris vestigia fixit
Postibus, haûd humiles meditatur protinus ausus
Mens puero major, major puerilibus annis.
Ludere magnanimo Iuveni si fortè placebat?
Horrida, nec rigido semper placitura Catoni
Ludus erant tormenta; genas si solvere risu?
Pro superis fusus cruor arridebat; acumen
Indumenta dabant strictis horrentia setis;
Sicque aliquando queri solitus censore remoto:
Cur mihi, pro superi! indulgens natura negavit
Par animo corpus? tamen istis viribus, ánnos
Vincemus. Patrias Iuvenis juravit ad aras
Annibal in Romæ excidium: non dispare vultu

Ac animo, in ſtragem nos conſpirabimus Orci.
Forte ſacris Lojola Parens proſpexit ab Aulis,
Ac auſus in prole ſuos, partemq; Paternæ
Non parvam cernens virtutis, talibus infit:
O! fortunato non inficianda Parenti
Progenies! dignas inſcribi poſtibus iras
Cælituum; ſummis æquanda Polonia Major,
Altrix virtutis tantæ. dilecta propago
Creſce puer, ſtygios quondam domiture Gigantes,
Perge triumphales pius extorquere coronas
DRUŻBICKI a ſuperis, vitæ tam prodigus; iſta
Non deſperatas ſpondent certamina laurus.
Sic Pater audaces animos refovebat alumni,
Sic feſtina moras probitas rumpebat inanes.
Sanctior at poſtquam cum annis audacia crevit,
Creverunt & bella, pii crevêre furores.
Non tot in Emathiis fulſerunt ſpicula campis.
Nec Titan radiis tot adurit fervidus orbem,
Quot cepit privata truces domus una cataſtas.
At quo bella vehis? quem tali marte laceſsis
DRUŻBICKI? an pelagi mens eſt frænare procellas?
Aût ultra Tygrin ſeû Thracia flumina velox,
Danubiiq; vadum, ſeû ſtagna Propontidis ultra
Feſtinas? Aſiam potes his proſternere telis,
Si properas, jam victa novum dabit Africa nomen.
Non mihi, reſpondet, titulos hæc arma parabunt,

Omni cogitabili tormentorum genere in corpus ſæviebat.

In nova, nec domiti venient cognomina Parthi,
Nec famam petimus, pax iſtis quæritur armis,
Iſta mihi parient optatam bella quietem.
O! nova cæleſtis, ſuperi, portenta duelli!
Quamvis hoſtis abeſt, non deſunt arma, manuſqꝫ,
Ipſe ſibi victor DRUŻBICCIUS, ipſemet hoſtis,
Cilicium ac vtiſsimū. Nutritur toties ſuſo pax alta cruore.
Incubuit laceris forſan quandoque lacertis
Immiti thorax metuendus crine, putares
Getulo erupiſſe feram, ſic ibat, ab antro,
Sive Lycaoniis indutum pectora villis.
Inſtar Amazoniæ, ſetoſo tegmine, peltæ,
Proque ſago, ſodiente latus circumdat amictu:
Mitior aſt fuerat quã vindex ægide Pallas
Incælum armatos quondam ſtupefecerat hoſtes;
Nec talem Odryſius fert in certamina Mávors
Loricam, ſtygij madidam ſudore Cyclopis.
Triſtiá tam rigidus properabat fata cometes,
In ſua damna furens, ſed mens interrita, lætùm
Inceſsit, riſitquè ſui tormenta cometæ.
Ferrei pectines. Comere quin etiam mentem ſi forte placebat?
Ferreus horrendum, ſulcabat corpora pecten,
Mordebatqꝫ pios dens atrociſſimus ártus.
Ecce ſub arboreis quæſitam frondibus umbram
Captat, & optatâ fruitur Cytherea quiete,
Indulgenſqꝫ animo, ſparſos ſinè lege capillos

In nume-

In numerum redigit, rapidi ludibria venti.
Collectam studiosa manus discriminat aptè,
Multifidis perarans sulcis, & findit eburno
Pectine cæsariem, castigatamq; coërcet.
Nectareo pars imbre rigat, pars format in orbem,
Effingi facilem, crinem, pars floribus ornat,
Idaliæ comites, levium vaga turba sororum.
Interea auratis vectus puer improbus alis,
Detestanda lues, Veneris malè nata propago
Dejecto vultu, flens, eversamque pharetram
Et telis vacuam referans, lachrymantia solvit
Ora: quid excultam numeroso Cypria dente
Luxuriare comam pateris? deludimur! audet
Impexum crinem turbatus, pallidus ora,
Sordidus, & trito deformis GASPAR amictu,
In Nostrumq; furens caput, insultare verendis
Numinibus! mollem inviso de corpore cultum
Exigit, & tristem gaudet gestasse lacernam.
Non Caput, aut villos, o mens insana! sed artus
Pectit, & implacido convellit tergora rastro.
Nomen habet falsò deductum à pectine eburnêo
Tormenti genus, hoc nihil est crudelius, ipse
Horreo, sic lacerum memori dum mente revolvo.
A plaga pars nulla vacat, numerosa cicatrix
Semper hiat, patulo cumulatur vulnere vulnus.
Cadmeam credas segetem, dentisquè venena

Viperei, invalidos latè disjecta per armos.
Sic puer, & genitrix imo suspiria ducens
Pectore, perfusam benè olenti nectare, dextrâ
Terque quaterq; comã cõcussit, & arboris umbrã.
Infamem temone Paphon, cursuq; secuta,
Deserit, ingeminans: pudor heu! nec plura locuta.
At Tibi quis sensus DRUŻBICKI? sola volupta
Hæc fuit, egregiam sua per dispendia formam
Quærere, & incultum cælo superisque placere.
Iam seu sidereos, (quo spes secura ruebat,)

Pila instar. globi hemisphæris aculeis horrens.

Mente globos versat, tectumque rotatile volvit,
Pectore millenos audaci parturit orbes
Orbe animus major. ceris effingere sphæras
Dædaleæ renovans artis miracula, pergit.
Plurima convexos, atrox acus asperat orbes,
Multifidumquè, teres pomum, distingvit acumen.
Cernitur ingenii vis, hoc in acumine tota
DRUŻBICKI, Herculei sphæra est hæc una laboris.
Talibus instruxit, sobolis post fata peremptæ
Mala dolis, Fenella furens, ultura Tyrannum.
Sic horret metuenda cutis sylvestris echini,
Aut qualem induitur Nostris incognitus hystrix.
At cur tot telis armatur tortile malum?
Forsitan ut cupidis spectacula sæva novorum
Præbeat? hæc Siculum recreent tormẽta Tyrannũ
In sua fata faber, tales struit impiger orbes

GASPAR,

GASPAR, quod fixit, nullum non lædit acumen,
Perque artes perit ipse suas, defendere tantùm
Novit spina rosas, dominas non pungere frontes.
At tu crudelis, corpus cur scindis herile
Machina? cur dextras quæ te finxêre, lacessis.
Non est sphæra nocens, licèt est formata nocendo.
DRUŻBICKI immitem tormentorumque ministram
Fecit, & in proprias civilia pila catastas
Distrinxit, vultum nunquam dejectus ovantem;
Punxit millenum sed non expunxit acumen
Quæ super innocuis regnabant gaudia malis.
Quin pila laxandis mihi curis serviet, inquit,
Ista, nec infame est, hoc tempus fallere lusu,
Quo benè colludit Numen, quo luditur hostis.
Riserit hoc quamvis mentitus Iupiter axe
Quale syracusíi quondam solertia fabri
Finxit opus, parvo cum sidera clauserat orbe.
Quos Tu DRVŻBICKI laniandis artubus orbes
Conficis, hi verò multùm arrisêre Tonanti.
O! domitor mundi, cui non suffecerat orbis
Vnus, ALEXANDRO major, cui vincere ludus,
Tempus erit, quando ipsa suas Capitolia palmas
Despicient, Magnosq; Tybris, Grajîq; Lycurgos
A Te DRUŻBICKI victore exempla petentur.
Sic sævit per membra pugil Veteranus, acutis,
Corporis impatiens, telis, largusquè cruoris.

In Crucem expansas manus sæpe remissas diu sustinebat.

Nec ſtetit hic crudelis amor, diſcrimina mille
Mens agitat, ſanctumquè coquit ſub pectore virus.
Ergo placet faciles vinci, diſtendere dextras,
Et tantorum operum doctas torquere magiſtras.
Obvia ceû panſis manibus Druzbiccius aſtra
Aſtrorumque Deum comitem Divoſq; ſalutet,
Immotas fixasq; ſitu ſic ſervat in uno.
E lacrymis enata ſilex non firmiùs hæſit
Funera Natorum plorans ſipyleia Nutrix,
Phidiacum Phario ludens in marmore cælum
Tam ſolidum non format opus, non arte laborat,
Perſtat ut ille tenax animi, dextraſquè fatigat.

Sub Examē matutinum flagellat omnem, disciplinam bajulus dicebat.

In matutinum, nil conſcius, acta tribunal
Dum vocat, ecce reum ſe damnat criminis expers,
Iudex ipſe ſibi, vindex ſimul ipſe futurus.
Et niveos candore cycnos, & lactea vincis
Lilia, & hibernas poteras ſuperare pruinas
Moribus innocuis, & caſtæ munere famæ
Druzbicki; integram quænā ergo piacula mētem
Infeciſſe doles? tantùm te plaga nocentem
Monſtrat non facinus, tamen ille repercutit artus
Immiti lanians male ſaucia verbere membra.
Balnea ſunt, inquit, profuſi ſtagna cruoris,
Enatat ex iſtis animus mihi pulchrior undis.
Et poteris jactare Nero fœdiſſime thermas?
Et tu, queîs merſus fueras Naciſſe fluenta?

Ipſe

Ipſe tuas latuiſſe faces, licet æquore toto (ctans.
Tinctas, Phœbe opta, hæc pudibundus balnea ſpe-

Vlceri ſanando flagellum adhibet.

Et mirum, medicam tribuerunt flagra ſalutem,
Nam putre dum lacerum corpus fœdaverat ulcus,
Ipſe Machaoniis medicamen certius herbis
Applicuit virgas vitiatâ in parte veneno:
Extimuit malè fuſa lues, & corpore toto
Non poſthac reditura fugit; ſic cæſa flagello
Cedere debuerant morborum monſtra. Galenus
Non ægris unquam ſimiles præſcripſerat artes.
Solus DRUŻBICKI proprio de ſangvine ſuccos
Impendit morbis, & vulnere vulnera curat.

Icones Crucifixi Domini ab eius obitu ſãguine rubentes repertæ.

Ipſaquè quin etiam geminato ſæpe cruore
In cruce ſuffixi rubuerunt membra Tonantis;
Namquè, ubi pungentes per pectora nuda catenas
Explicuit, domitâq; gravis lorica pependit
E cute, prælargo maduerunt limina tabo.
Ipſe cruentatum Domini ſuper arbore corpus
Complexus, quod hiabat iter de corde perempti,
Supplevit miſto, lachrymarum, ſangvine, rivis,
Atq; ait: O! noſtro data victima Chriſte furori;
O amor! exhauſto Divini ſangvinis imbre,
Prò! quantùm infami ſuſpenſus ſtipite palles!
Quod fluit è noſtris DEus accipe fontibus oſtrum.
Dixit, & egelidis in vultibus oſcula figens.
Quæ cruor infecit, benè ad ubera preſſit amores.

Hinc roſeus manſit murex in imagine, ſicquè
Arte laboratum quæ Crux ſimulabat IESVM
Omnis ab effuſo DRUŻBICKI ſangvine tincta eſt.
Dierũ tormenta noctes excipiunt.
Viderat iſta dies; cum protinùs arma furori
Sancto, poſt ſoles nox intempeſta miniſtrat.
O! cæcam in clades noctem! vigilabat ad ictus
Non ſaturata ſuis mens nil ſibi conſcia pòénis.
Tunc placuit forſan còéli convexa ſubire,
Mirariquè faces quas nox ſuccenderat axe;
Atquè ait: ergo polo vigilabunt ſidera tantùm?
Condet olorinis nos nox altiſſima plumis?
Pro pudor! ergo meos ſuperabunt aſtra labores?
Excubat ecce polus; cur nos ceſſabimus? inquit.
Nuntius hinc noctis tremulos indutus amictus
Invehitur, clauditque diem, ſolique parentat
Heſperus occiduo; gladium ſuccinctus Orion
Inde ruens, animos placidâ face terret inertes.
Vt ſcintillat Olor! quàm Gnoſſia ſerta coruſcant!
Et lyra Threicii retinens cognomina Vatis,
Dulcè micat fidibus, ñunc inter ſidera ludens:
Ponè, Piger quamvis, urget ſua plauſtra Bòótes,
Parrhaſis urſa jubam ventis permiſit & auræ.
Poſt Helicè, ſonipesq; nitet, qui vertice quondã
Bellerophonta tulit, modò proterit aſtra ſuperbus.
Iam teretem cerno, ſidus variabile, lunam,
Et comites ſtellas, inceſſantesq; choreas

Aſtrorum,

Aſtrorum, pro! quot radiant ſinè nomine ſtellæ!
Quantus pro terris exercitus excubat axe!
Ergonè nocturnis homines vincemur ab aſtris?
Siccine cæleſtes tantummodo nulla fatigat
Cura Deos? animus par nobis, parquè voluptas,
Poſt æſtus belli, nullam captare quietem.
Dixerat, & ſævis ſtrepuerunt tecta catenis,
Audacem nox ipſa facit, pugnatur in umbris,
Acriùs, & cælo gaudet victoria teſte.
O! dignum ſtellis! cui nox ſine nocte placebat,
Cûi fuit una quies nullam admiſiſſe quietem.
Sic nox, ſicque dies decertavêre flagellis, *In ſingulos anni menſes tributi Cruciatûs.*
Excipiunt poſt hac menſes anniquè cataſtas.
Iane biceps, pariter Tibi janua panditur anni *Mortificatio oculorũ in Ianuario*
Et pariter clauſas oculorum ſponte feneſtras
Ille tenet, nec abire ſinit vaga lumina, mundi
Illecebras arcens, obtutu dignior orbis.
Præterit excultam dejecto lumine formam,
Ac emendatos quæſitis artibus, ultrò
Arcet ab aſpectu vultûs, Charitesque lepori
Cernere permiſtas clauſo non audet ocello:
Obvia nec cupidum rapiunt ſpectacula lumen,
Ipſa licet, ſpectanda piis, occurrat imago
Spectatore caret; loca deteſtanda pererrat
Tantum oculis, roſeasquè genas vel in ulcere figit,
Partiturquè libens per mendicabula viſum.

At quamvis clausum studiosa modestia lumen
Servet, centoculo tamen est oculatior Argo,
Deflexit recto nam nunquam à tramite GASPAR.

Mortificatio aurium in Februario.

Mox ubi vicino dant, Februa, nomina mensi
Nil Cupidâ bibit aure novi; seu Cantibus Orpheûs
Mulceat, atque loquax animetur Apolline plectrū
Non audita sonat; vox si Divinior aures
Adstrepat, aligeri modulentur carmen ephebi,
Et pœana canant, sacra quos alit aula choraulas,
Auribus exciperet surdis ea cantica, sensus
Omnis abest patulis resonum certamen inire
Incola sylvarum, nemorum cytharistria, princeps
Aònii philomela chori, si GASPARE vellet
Iudice? respueret. DRUŻBICKI auritus haberi
Non poterat testis, bene sed tamen audit Olympo.

Mortificatio totius corporis in Martio.

Martius infractam repetita in prælia mentem
Ducit; jam ferrum ferroquè nocentior hostis,
In sua membra furit GASPAR, stat totus in armis,
Et quæ partiri per tempora sveverat anni
Horrida dispensat cunctos tormenta per artus.

Mortificatio tactûs in Aprili.

Aprilis cum vere novo nova bella reducit,
Abstinet attactu; Phrygii tetigêre Tyranni
Quōdā vota Deos, nam quidquid ab arbore carpsit
Aurea massa fuit, flos aureus, aurea messis,
Saxaquè fatali pallebant tacta metallo.
Illa Midæ poterant tangentis munera, dextram

Solli-

Solicitare, at Te donum non tangeret iſtud.
Eſſe Midæ nunquam velles imitator avari,
DRUŻBICKI; invito centum natura dediſſet
Si dextras, totidem retuliſſent jure triumphos.
Maius odoriferis redimitur tempora ſertis, *Mortificatio odoratûs in Majo.*
Chloris ubi reſerat bene culta palatia veris,
Luxuriant horti, creſcit Reſpublica florum,
Solus inexpertos faſtidit GASPAR odores.
Non panchea ſeges, nec qualem pollice meſſem
Carpit Arabs, placuit, nec inania pabula munctis
Naribus obtrudit; ſe flos licèt ingerat ultrò
Tutus ab inſidijs de caudice ſurgit in auras.
Aſpectu, carpi faciles, oculisque legebat,
Non manibus; nullo violans violaria tactu
Sola placent, ſtygiam quæcunq; Mephitin olebant,
Inque roſis ſapuit tantum quòd pungere poſſet.
Vt lentus fulſit cancer ſenſitque calores *Mortificatio guſtus in Iunio.*
Solis, & immiti flagravit Iunius æſtu,
Ora ſitim, gula paſta famem; non frigida fauces
Proluit arentes, nec Maſſica vina palatum,
Extructas inter, libo, jejunus, eduli,
Ille dapes conviva ſedet, fruiturquē negatis.
Captat inexpleto fugientes Tantalus eſcas
Ore, fugit DRUŻBICKI admotas, fercula libans
Summa oculis, avidam ludit, non explet orexim,
At ſi frugali Cereri indulgere placebat

Triſtia ſupremis infusa abſinthia labris

Mortificatio Capitis in Iulio. Corrupere cibos. Capiti tormenta verendo
Apparat, æſtivis facibus cum Iulius arſit,
In caput ipſe ſibi DRUŻBICCIUS hoſtis: Olympi
Se Leo flammivomus nitidis vix intulit aulis,
Induit indomitum, generosâ mente, Leonem,
Nil niſi crudeles agitans ſub pectore curas.
Et modo pulſat humum, rugosâ fronte reclinem,
Deffeſſumquè caput modò cervicalia ſupra
Dura locat, tenuēquè rapit de vertice crinem.

Mortificatio manuũ in Augusto Mox ubi Cæſareo properat ſub nomine menſis
Auguſtus, Gaſpar poſt tot certamina vinctas
Sponte manus offert Superis, retinetquè modeſtas.
Vngues abradit medios, noſcendus ab ungue
Victor, cumque alii jactent ſuper ære trophæa,
In digitis ſolus poterat numerare triumphos.
Si tua promeruit temerarie Scævola plauſus
Dextera, Romuleos, contemptis ignibus uſta,
His quantas, palmis, debebunt ſidera palmas!

Mortificatio pedum in Septẽbri Septembrem pedibus torquendis deſtinat, unde
Crebriùs incurvo veneratur poplite Numen;
Ex animo exemptus fuerat Tibi ſcrupulus omnis,
Plurimus at cautas, injectus, lædere plantas
Sueverat, admotus male quas cruciaverat ignis.
Tum pede Stilites ſteterat (terrena peroſus
Alter ubi ſuſpenſus erat) bene fultus in uno.

Iamque

Iamquè triumphales taceant Capitolia poſthac
Scipiadum currus, melius pedes iſte triumphat.
Cum ſubit October, Zephyrisq; tepentibus æſtus
Temperat, ecce novus calor, implacabilis ardet
DRUŻBICKI, facibusquè vigil latus omne coronat.
Iam circumfuſis luxerunt pectora flammis,
Innocuam populata cutem, fax multa cucurrit.
Vulcanus maculas has nullus inurere poſſet,
Quas Tibi inuſſit amor ſuperûm, palmæq; cupido.
Vicinus circum præcordia Mulciber ardet,
Aſt hoſtis gravior flagrat intra viſcera GASPAR.
Mollia præduro modò pectora verberat ictu,
Cuncta gemens, & aperta quatit penetralia cordis.
Expers pòénarum nè lingva volubilis exſtet
Conjicit edomitam labiorum in clauſtra Novēber.
Plurima acus mollem ſecat, inſultatquè ſilenti
Cuſpis iners, terebratq; piam. Sic vindice quondā
Infamis Lagi ſoboles, faciliſquè nocendo,
Dedecus Ægypti, pellex Cleopatra, furore,
Fæmineiſquè dolis, admiſſo crimine, multo,
Vlta eſt grandiloquam Ciceronis, acumine, lingvā,
Impia veſani recitantem facta mariti.
Tormenti crudele genus! ſaxa aſpera lambit,
Exſertam lacerat repetitis morſibus, haurit
Permiſtos acri ſuccos, & amara palato
Pocula, ſubridens, aloé vitiata propinat.

Mortificatio pectoris et letarū in Octobri.

Mortificatio lingva in Novēbri

Hosquè frequens, avido consvevit carpe=re morsu
Mortificatio Vocis in Decembre. Qui nimiùm caluêre cibi. Nec fessa voluptas
Vincendi fuerat, nullis satiata catastis.
Vos quoq; præcipites vocat in tormenta Decēbres
Faucibus in mediis vox interclusa latebat,
Ora premunt nullo violanda silentia verbo,
In faciles risus facies non solvitur unquam.
Nevè repentino, bene castigata, cachinno
Viscera subsiliunt, sonuit non fracta canoro
Vox cantu, incultus comi manabat ab ore
Sermo, verecundus nec se permiscuit inter
Dicta jocus, cautis aberat latus putida verbis.
Hoc Tibi bisseni currebant ordine menses.
Iamquè duodenos tumidus super orbe labores
Alcides taceat, poterat benè, Gasparis omnes
Quilibet Herculeos labor hic, superare labores.
O! dignos oculo superum censore triumphos!
Post fractas vires mens est infracta; dolores
Excipiunt risus, & pax altissima bellum.
Vincere post erebum potuit Tirinthius orbem,
Non potuit gemitus Decios flentēq; Camillum
Suspexit Fortuna nocens, lachrymasq; Metelli.
Vix erit ulla fides, tam sanctum, crimine nullo,
Tot pœnas cepisse Caput. Sed gloria major
Profluit è vultu læto, quam sangvine; pacem
Bella vehunt, lachrymæ rident, gaudētq; dolores.